Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2155

Quelle:
Copyright:

cem: *Finis 33. conclusionum Ewangelici doctoris M. Jo. Wi. 1433. in festo pauli.* E variis *Wicleffi* libris *Conclusiones* hae lectae videntur, et fortassis a *Petro Paynio.*

XI. *fol.* 262. p. 2. *Incipit Speculum Dominorum.* Initium: *Cum veritas fidei eo plus rutilat, quo plus plane cognoscitur* &c. Ad calcem: *Explicit speculum secularium dominorum secundum ewangelicum doctorem finitum 2ª. feria, Et eodem dominico die anno 1433. Iopathan* (Arcem Prov. Prachinensis alias Hus dictam Taboritae, ut putem) *invaserunt.* Adi *Tanneri Bibl. Brit. Hibern.* ubi fecundissimi calami *Wiclefiani* partus enumerantur, et *Indicem* nostrum.

XII. *fol.* 270. Adversaria duplicia de Methodo Praedicandi verbum Dei, quorum priora abrupta incipiunt: *Ut simplices sacerdotes Zelo animarum succensi habeant materiam predicandi* &c. Altera vero prolixiora: *Ad inveniendum diuersas uias predicandi Nota breuiter tria tempora* &c.

XIII. *fol.* 302. *In translacione ludmille.* Fragmentum Sermonis vel Lectionis, quod incipit: *Sancta ludmilla. matrona bohemorum. secundum cantum ecclesie. turtur* &c.

DLXVI.

833 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 147. 8. priore sui parte eleganter exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum Cruciferorum in Dusseldorp,* haec complectitur: I. praeeunte Capp. XVIII. elencho *Incipiunt aliqua verba aurea sancti Egidij. De gracia Capittulum primum.* Ejus initium: *Gracia dei et virtutes sunt scala et via ascendendi in celum* &c. Per decursum narrantur plura F. *Aegidii* Sensa et Αποφθεγματα; ita C. 15. *Videbatur fratri egidio quod male fecerunt Prelati ordinis minorum eo quod non procurassent pro viribus cum domino papa non obtentu vane glorie. sed contemplacione honoris diuini duntaxat et edificatione proximorum canonizationem fratrum minorum martirum qui propter gloriosam confessionem fidei fuerunt apud marabotum* (Marochium) *interfecti* &c. Unde liquet haec non ab ipso *Aegidio Assistate* tertio B. *Francisci* discipulo, Viro pio et simplici, sed ab alio excepta referri. Quare miror *Waddingum* in *Bibl. O. M.* p. 5. de *Aegidio scribente,* ejusque *Opusculis* loqui, cum tamen nil nisi Titulos Collectionis praesentis recitet. Obiit *Aegidius* a. 1262. Vide *Acta SS.* ad 23. *April.* T. III. p. 218. *Aurea Verba* nostra excusa sunt *Antverp.* 1534. 8.

II. *fol.* 33. p. 2. *Incipiunt X omelie eusebij episcopi.* Ad calcem additur: *emissenj ad religiosos valde edificative.* Initium primae: *Exhortatur nos sermo diuinus vt curramus* &c. Finis ultimae: *premiorum gaudia sine fine durarent.* De his *Homiliis* dictum ad *Cod.* CCII.

III.